PROEMIUM.

Aptissime, si unquam alias, *sapientiam omnium antiquorum* exquirit *sapiens*, & *narrationem virorum nominatorum* conservat, hoc præsertim delicato, quod vivimus, sæculo, quando non pauci prioris Ecclesiæ ætatis admiratores perpetui, posterioris censores implacati, ultra modum, & inconsultius religiosi, ad christianæ rudimenta infantiæ, senescentem jam Mundi linguam impigre conantur reducere. Num seria sint, an ficta, larvataque tot Reformatorum, queis trisulco propemodum hiatu a primæva sua basi defecisse videtur Domus Dei fabrica, ut adeo ruituræ moli Atlantæos necesse sit humeros supponere, vota, labores, molimina, singultus, atque suspiria, operæ pretium erit, ex ipsa vetustatis memoria accuratius dignoscere. *In ipsa* namque *Catholica Ecclesia*, ut verbis utar VINCENTII LIRINENSIS, *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.* Genuinos proinde hunc in finem adire fontes cordi habuimus, ut haurientes limpidam, Sponsam Agni Ecclesiam, Ecclesiæque fidem omnibus eandem esse temporibus, eandemque manere semper, demonstraremus.

Quot quot interim ecclesiasticas morum regulas vel a limine salutarunt unquam, duplicis eas esse generis, compertum habent. Aliæ quippe sunt immutabiles quædam regulæ æternæ veritatis, quæ primaria lex est, & fons ipse, atque origo legum illarum, quas nec dispensatione ulla remitti fas est, nec præscriptione everti, nec morum aut temporum diversitate qualibet, aut vicissitudine labefactari. Aliæ sunt temporariæ leges & consuetudines ex se indifferentes, quæ authoritatis, utilitatis, aut necessitatis alio loco ac tempore plus habent, aut minus; quippe quæ ideo tantum positæ sunt, ut facilius primaria illa & aeterna lex observetur. Ita pervigil & omnipotens illa Numinis providentia, quæ fecit, ut Synagogæ succederet Ecclesia, quæ dispensat varias hujus ætates & alternationes, eadem ipsa summa quadam sapientia & charitate has omnes temporalium consuetudinem, legumque conversiones ita regit ac moderatur, ut per has Ecclesia ad incommutabilem & æternam Sponsi sui gloriam & sanctitatem provehatur.

Sed

Sed nusquam, ut equidem remur, exitialius est, aut partium studio abripi, aut præconceptis animo opinionibus obstinatius adhærere, quam ubi de controversa ecclesiasticarum dignitatum jurisdictione, atque de ipsa Primatus Pontificii auctoritate, annexisque eidem juribus, ac prærogativis agitur. Paucissimi tenent medium, multi propemodum extrema sequuntur, eaque penitus opposita, ita ut & in errorem, nisi præcauti sint, facile induci possent electi. At id esse proprium christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare, abunde novimus. *Hoc inquam*, pergit VINCENTIUS, *semper, neque quidquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturæ Chirographum consignaret.*

Atque hoc ipsum est, quod in suis ad PIUM VI literis agnitum confessus errorem, immortali nominis sui gloria agnoscit & profitetur illustrissimus ille, qui olim mihi manus imposuit, Episcopus Myriophitanus. Profitetur, inquam, Claves Ecclesiæ Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse. Agnoscit Dei Filium, dum suam Ecclesiam fundare, eamque esse unam vellet, formandæ ac regendæ huic unitati Primatum in illa instituisse, huncque S. Petro commisisse. Asserit hunc Primatum non ordinis, inspectionis, ac directionis tantum esse, sed veræ auctoritatis ac jurisdictionis, eumque in Petri Successores Romanos Pontifices, sedemque apostolicam, hujus unitatis centrum & radicem jure divino transiisse, ut nulla ratione transferri a Romana ad aliam sedem valeat. In horum sequelam agnoscit cum Patribus *C. Florentini* Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Addit speciatim fieri non posse, ut a vero aberret Corpus Episcoporum, qui Capiti suo Romano Pontifici adhærent. Dicit cum *Avito Viennensi Ep.* in rebus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, siquid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ Maximum Sacerdotem, quasi ad Caput nostrum referendum esse. Circa decretales Romanorum Pontificum Epistolas, profitetur cum *Ss. Gelasio* & *Leone*, eas venerabiliter suscipiendas esse, & sancte custodiri debere. Affirmat R. Pontifici jure divino competere jus indicendi, dirigendi & confirmandi universalia Concilia, quæ per ejus concursum plenam sortiuntur firmitatem, & infallibilitatem independenter a quacunque alia acceptatione. Agnoscit denique Summos Pontifices *Pium II*, *Julium II*, & *Gregorium XIII* omni jure damnasse Appellationes a Papa ad futurum Concilium, jam antea a *Gelasio* reprobatas. Hæc, ut notum satis, in conspectu orbis terrarum, Magni FENELONII secutus vestigia, circa fidei, seu doctrinæ suæ professionem, germana sinceritate declarat & exponit, Illustrissimus JOANNES NICOLAUS AB HONTHEIM non inani spectro territus, nec ingravescentis ætatis fascinatus deliriis, sed ipsa rei veritate convictus.

At *O rerum mira conversio!* exclamat Lirinensis; *Auctores ejusdem opinionis catholici, Consectatores vero hæretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur*

demnantur discipuli. Conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero Gehenna suscipiet. Quam enim consona sit traditæ nobis fidei, laudata summi viri confessio, quam exacte cum Conciliorum Generalium decretis cohæreant recensita statim dogmata, tam inviolabilis primorum temporum disciplina, quam authentica Synodorum Oecumenicarum, quæ quidem universalis Ecclesia suspicit & reveretur, acta luce clarius in aprico sistent.

Quæ cum ita sint, pergit VINCENTIUS, *mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam exeæcatæ mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel & accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quærant, semperque aliquid gestiant Religioni addere, mutare, detrahere; quasi non cæleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici, nisi assidua emendatione, imo potius reprehensione non possit, cum divina clament Oracula*: Ne transferas terminos, quos posuerunt Patres tui. *Et:* scindentem sepem, mordebit eum serpens. Videant igitur Novatores non pauci, qui libellos identidem spargunt, non luce publica, sed tenebris æternis dignos, ut tunicam Christi inconsutilem, quæ est Ecclesia, scindant, qua se ratione tueri possint? Videant, repeto, an, dum ad antiquitatem toties & ad ravim usque provocant, antiquitati pertinaciter non resistant? Primum inter pares sibi singunt Petri in Romana Cathedra Successorem, reliquis per orbem Episcopis per omnia similem, nec vera ulla in universam Ecclesiam auctoritate pollentem, ut jura Primatus non adventitia solum, verum & primigenia facilius convellant, & Principi populi sui magis impune maledicere pergant; sed simul attendant obsecro, an locus esse possit ignorantiæ, dum tanta, sua sponte, se lux veritatis diffundit? Erubescant, si tamen erubescere sciant, quod cramben recoquant, quæ ipsismet authoribus suis nauseam parit & vomitum. Quodsi modo ad ea, quæ ex primitivæ, purissimæque Ecclesiæ disciplina deduximus, Corollaria serio adjicere dignentur animum, irritos esse conatus, inania sua studia, deprehendent facile, atque, dum non *Pontificium*, sed *Ecclesiasticum* se *Jus* conscribere mentiuntur, nullum tale, nisi forte mere *politicum*, se consarcinasse observabunt. Eo enim & nos animo antiquitatis sylvam ingressi sumus, ut orthodoxa tuentes dogmata, loquentium iniqua obstrueremus ora, simulque teneris arma ministraremus animis, queis cavere tenebrionum pestes, & despuere cum abominatione sciant. Quod an pro rei dignitate debite præstiterimus, erudito orbi dijudicandum relinquimus.

MEDI-